DE VITA

MAGISTRI PHILIPPI GUALTHERI
AB INSULIS
DICTI DE CASTELLIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

FR. AUG. GUIL. MÜLDENER,

ROTTLEBIENSIS, SCHWARZB. RUDOLPHOPOL.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACAD. HUTHIANA.

MDCCCLIV.

Prof. W. W. Goodwin.

BENEVOLO LECTORI S.

Ne quis miretur, quod ego ausus sim, post Giesebrechtii V. D. largam et copiosam de Mag. Philippi Gualtheri vita scriptisque disputationem in *Allgem. Monatsschr.* 1853. p. 10 sqq. et p. 344 ad 381. denuo eandem rem tractare, haec mihi praemonenda sunt. Nondum annus est, ex quo primum ad Alexandreida Gualtheri forte fortuna latus sum eo solummodo consilio, ut viderem an Curtii res critica aliquid incrementi ex illa capere possit; sed cum intelligerem adeo Gualtheri verba esse corrupta, depravata et interpolata, ut justo bonoque intellectu saepe carere viderentur, novam huius carminis editionem instituendi consilium cepi; tres igitur editiones et quatuor Codd. Mss. ad hunc finem comparavi, neque quae de vita aliisque huius poetae scriptis eorumque Codd. Mss. nobis tradita sunt undecunque colligere omisi. Jam cum tempus instaret quo ad summos in philosophia honores obtinendos examen subirem Amplissimi Philosophorum Ordinis; commentarios meos undique

collectos sub finem anni praecedentis in dissertationis formam redegi; sed male mihi accidit, ut qui tot volumina de hac re evolvissem ea quae nuperrime de hac re disputata fuerant a Giesebrechtio, mihi non prius innotescerent, quam conscriptionem meam non solum absolvissem immo jam Ampl. Phil. Ordinis censurae subiecissem. Sed vel sic plausum tulit dissertatio mea, cum eo tamen ut antequam typis eam imprimi curarem, quae necessaria viderentur esse ex Giesebrechtii commentario, ad ea respicerem. Ne tamen quis putet exscriptum a me esse illum V. D. duobus verbis significanda erunt, quae ab illo nova didici (neque sunt, libenter fateor, pauca), et quae mea jam fuerint antequam dissertationem Giesebrechtii inspexerim. Quod ad vitam Gualtheri, nihil novi ad ea quae ipse congesseram, attulit mihi Giesebrechtius, id quod videre est ex prima huius dissertationis parte, in qua demonstratur, non fuisse Magalonensem Episcopum poetam. Hanc totam implicatam disquisitionem de Gualthero Magalonensi Episcopo omisit Giesebrechtius, nescio an recte. Si quis enim forte deferatur ad antiquiorem aliquem historiae litterariae scriptorem — ut notissimum dicam Leyserum, missis innumeris aliis — plerumque nostrum Gualtherum cum Episcopo Magalonensi confusum videbit; et ita quidem apud illos incerta est eius aetas, ut 150 fere annorum spatio de ea dissensio sit. In quam pravam opinionem ne quis iterum incidere possit, cui ad manus non sunt libri ad hanc rem discernendam neces-

sarii, non supervacaneam duxi esse operam, primum demonstrare, non fuisse Magalonensem Episcopum Gualtherum Alexandreidos poetam et deinde demum vitam eius quantum quidem id licebat adumbrare. Haec igitur mea fuerunt et sunt; neque in eis quae de Alexandreide ipsa alio loco et tempore proferam, quo tempore scripta sit etc. plagiarii notam quemquam mihi impositurum confido. Sed Giesebrechtii in mea dissertatione sunt omnia quae de carminibus minoribus Gualtheri disputavi; ii enim quibus ille usus est, fontes antea mihi non innotuerant; ex Oudino tantum compereram, Parisiis asservari Codicem aliquem, in quo exstarent Opuscula rhythmica Gualtheri, quorum tamen magnam partem alii adscriberent Gualthero Mapo. Cuius carminum novissimam Wrightii editionem inspiciens, cum viderem, quatuor carmina quae adscripserat Oudinus nostro Gualthero, a Wrightio sub Gualtheri Mapi nomine edita esse, facile movebar, ut reliqua etiam sex huic adscriberem et a Wrightio omissa tantum putarem. Nihil enim aliunde mihi de iis constabat, et de parte vel nunc non constat, cum editionem horum carminum, quam curavit *Edélestand du Méril* Francogallus V. D. in usum meum vertere non potuerim. Igitur quae de auctore horum carminum, de archipoeta Gottingensi, de Walthero Burano, de Golia, Primate etc. a me proferentur, ea omnia Giesebrechtio debeo, quod libentissime fateor; neque enim possumus omnia omnes. Ne tamen oleum et operam perdam et vel maxime an-

gusti temporis spatio, dissertationis meae novae recensioni concesso commotus, et quod spero, huius dissertatiunculae (si qui erunt) lectoribus notum esse Giesebr. commentarium, hic nonnisi primam dissertationis meae particulam typis mando, quae est de vita Gualtheri; sed spero fore ut proximo quod instat tempore, si Deus O. M. vires dederit, etiam de altera parte quae est de scriptis Gualtheri, fusius exponere sententiam meam possim in novae editionis Alexandreidos prolegomenis, quorum haec dissertatio nonnisi frustillum est. Vale.

Scribebam Gottingae d. XV. Id. Mart. MDCCCLIV.

DE VITA MAGISTRI PHILIPPI GUALTHERI AB INSULIS DICTI DE CASTELLIONE.

I.

Magalonensem 1) Episcopum fuisse Magistrum Philippum Gualtherum 2) multi sunt auctores, quamquam ne ipsis quidem

1) Magalona (Maguellone) est insula mediterranei maris e conspectu Galliae, ubi olim civitas fuit et templum Canonicorum S. Augustini cum Episcopatu Narbonensi Archiep. subiecti, cuius denique sedes in Montis Pessulani urbem translata est Pauli III. Romani Pontificis voluntate anno 1536. — cf. Gallia Christiana nova VI. p. 728—731. — Petr. Gariel, Series praesulum Magalonensium et Monspeliensium. Tolosa 1665. fol. — De vera huius nominis scriptura cf. Sweert, Athenae Belgicae. Antwerp. 1628. p. 642. — Vossius de poett. Latt. p. 254. (Opp. Tom. III. Amstelod. 1697.).

2) Magister Philippus Gualtherus ab Insulis, dictus de Castellione. Hoc eius totum et verum nomen videtur fuisse, quamquam alii de nomine Philippi dubitare videntur. cf. Weckherlin, Beiträge zur Geschichte altteutscher Sprache u. Dichtkunst. Stuttg. 1811. p. 19. not. 16. — Pez, Thesaur. Anecdd. noviss. Aug. Vindel. 1721. II. Dissert. Isag p. XXII. — Quadrio della storia e della ragione d' ogni poesia Milano 1749. p. 478.

constat de tempore, quo illo munere functus sit. Ac Reinesius [3]) quidem dicit:

„De aetate Galteri Insulensis sive Lilani, Alexandreidos „scriptoris, multa verba facta sunt, nonnulla etiam „praeter rem. Ex eo vero, quod Codex tuus Mscr. [4]) „annum MCCVIII praefert, hoc saltem concludere est, „quod tempus datum praecesserit Gualterus; praecise „partem temporis aliunde cognoscere, nimirum ex „obitu eius, quem in annum MCXXXIII refert Antonius „de Verdala, Ep Magalonensis, in Catologo suorum „decessorum, possumus."

Haec Reinesius, licet ipse paulo ante [5]) hanc coniecturam de aetate Gualtheri protulerit:

„Matthaeus Vindocinensis cuius aetatem plane indagavi- „mus, meminit extr. Tobiae Gualteri, hic igitur paulo „superior, si non aequalis ei fuerit. Ea in re incon- „siderate Vossius [6]) inter incertae aetatis scriptores „eum retulit: male quoque circa a. 1200 floruisse „coniicit. Historia belli sacri, quod in Concilio Claro- „mont. anno 1095 decretum fuit, inter magnates et „milites nominat Walterum de Castellens, hunc eundem „esse cum scriptore Alexandreidos existimem, si quae- „cunque in Alexandreide nota vel vestigium belli „Jerosolymit. partem eum fuisse adpareret. . . . Sic „igitur sibi successerint isti saeculi XI et XII poetae: „Fulbertus, Ivo, *Gualterius*, Joh. Saresber. Matthaeus, „Gaufridus, Wilhelmus."

---

3) cf. Reinesii Epistt. ad Chr. Daumium ed. Bosius. Jena 1670. 4. Ep. XC p. 228.

4) Cod. Cygneensis s. Zwickaviensis.

5) Ep. LXXXV. p. 217.

6) Errare videtur Reinesius. Vossius l. l. et de Histor. Latt. Libr. II p. 478. (Lugd. Bat. 1651) non annum 1200 sed 1250 habet.

Sed errat V. D. Gualtherum illum, quem ait anno 1133 mortem obiisse, non posse eundem esse atque nostrum poetam, ex argumentis, quae infra afferam, perspicuum erit. Vixit sane circa illa tempora Gualtherus quidam Episc. Magalonensis, sed is iam ante mensem Augustum anni 1129 mortuus est; eo enim tempore Raimundus I. successor iam creatus erat 7).

Multa quidem verba de Gualthero fecit Bulaeus 8), sed multa praeter rem, ita ut difficile sit veram suam sententiam ex iis elicere, cum secum ipso pugnare videatur. Verba eius haec sunt:

„Patet, Gualterum floruisse circa medium et finem „huius saeculi, ab anno circiter 1108 ad annum 1180, „nec fuisse Magalonensem Episcopum, nam hisce temporibus Ecclesiae Magalonensi praeerat Joannes de „Monte Lauro" —

et paulo infra:

„Reperitur tamen inter Magalonenses Episcopos Gual„terus natione Gallus, in eadem ecclesia a puero enutritus „sub disciplina Gothofredi Episcopi, cui anno 1180 „successit." —

Mira est apud Bulaeum annorum confusio, cum duas res misceat prorsus alienas. Verum est, Joannem de Monte Lauro his temporibus (1166—1190) Episcopum Magalonensem fuisse; sed neque ab anno 1108—1180 florere poterat Gualtherus ut infra videbimus, neque Gothofredo successit ullus Gualtherus anno 1180; nam hisce temporibus Joannem de Monte Lauro Episc. Magal. fuisse constat.

Res qualis sit, optime apparebit allatis verbis Sammarthanorum 9) huc pertinentibus:

„Gothofredum proxime excepit Galterus ex Insulis op-

7) cf. Gall. Chr. VI. p. 747. D. — cf. infra.
8) Histor. Univers. Parisiensis. Paris. 1665. II. p. 740.
9) Gall. Chr. VI. p. 745.

„pido Flandriae oriundus, vir in divinis studiis longo „studio exercitatus, saecularium litterarum non ignarus, „ingenio praestans, et clarus eloquio, qui suo tempore „propter doctrinam et eruditionem magno fuit in pre- „tio. Hic ille namque est Galterus, quem a Waltero „episcopo Magalonensi, de quo Trithemius, perperam „secernit Gariellus [10]; non enim Magolensem, sed „Magalonensem apud Trithemium legendum probat „epistola ipsiusmet Galteri ad Robertum praepositum „Insulanum edita a Mabillonio [11], cum Maagalae in „Palaestina vel Magalis in Hispania nullum adscribat „pontificatum episcopatuum notitia. Ex hac autem et „altera a Brunone Signiensi episcopo ad Galterum da- „ta, quam habes Tom. XII. spicileg. p. 79. apparet, „Galterum scripturis sacris studuisse tum cum apud „Insulas moraretur. Sub Gothofredil postea disciplina „meruisse, antequam fieret episcopus, docent Verdalae „carmina. Defuncto autem magistro successit discipu- „lus anno 1103 aut saltem 1104, ut liquet ex veteri „charta data VII. Id. Maii anno 1125, quem vigesimum „secundum praesulatus sui annumerabat Galterus, ut „diximus [12].

Et paulo infra [13])

„De Galtero vetus quoque musa aqud Verdalam ceci- „nit:

Illi (Gothofredo) Galterus succedit filius eius,
Filius obsequio, filius officio,

---

10) l. l. I. p. 135.

11) Mabillon Anall. I. p. 289. (ed. 2. p. 462.) cf. Hittorp. de Canon. observ. p. 534.

12) p. 744. C. D.

13) p. 747. E.

Doctus et astutus *), per versus clarus, acutus,
Magnus consilio, magnus et eloquio,
Corpore sincerus et religione severus,
Impatiens sceleris, compatiens miseris,
Normae cultores, et nostros auxit honores,
Crevit thesaurus, fabrica, fama, domus.
Inde sequens tristi vestigia sorte magistri
Interiit, positus quo pater ante suus [14]. —

*) Hoc forsan deceptus loco confundit doctissimus Pagi Galterum nostrum cum Galterio de Castellione celebri poeta, qui saeculo decimo tertio (?) florebat. Alii autem legunt percomis. (Editt. Gall. Chr. Nov.)

Porro Fabricius [15]) dicit, Philippum Gualterum de Guastellione, Insulensem, episcopum circa annum Chr. 1174 Magalonensem auctorem esse Alexandreidos, et idem alio loco [16]) circa a. 1171 episcopum Magalonensem eum fuisse putat. — Contra idem alio loco [17]) de Gualtheri episcopatu Magalonensi nihil omnino dicit, nescio unde tum aliud edoctus [18]).

Sebastianus Linckius, in brevi vita Gualtheri quam praemisit editioni Alexandreidis a discipulo suo Oswaldo ab Eck curatae (Ingolst. 1541.) non magis clare et distincte haec habet:

„quibus (litterarum studiis) tantam et authoritatem et „gratiam passim obtinuit, ut in Episcopum Magolensis „eligeretur ecclesiae." . . .

et ad finem:

„Floruit circiter annum 1160 a Chr. n. quo Alexander

14) cf. Henricus Gandavensis in Fabricii Bibl. Scriptt. Eccles. Cap. XIX. — Trithemius ibid. c. 492. — Histoire Litt. de France XI. p. 81. sqq.

15) Bibl. Graeca III. p. 42. Harl.

16) Bibl. Lat. II. p. 255. (Venet. 1728.)

17) Bibl. med. et inf. Latin. III. p. 112. (Patav. 1754.)

18) cf. infra.

„Senensis et Victor de summo contendebant pontifica-
„tu, et quo divi Thomae Cantuariensis caedes recens
„erat adhuc (? occisus est Thomas d. 29. Decbr. 1170)
„cuius autor ipse meminit libro VII. Alex. v. 331. — [19]).

Dubitantius quidem sed non verius hac habet V. D. in Lexico-Universali (Hal. 1735.) XI. p. 1183:

„Er lebte am Ende des 12. saeculi, und soll nach
„Einigen zu Châtillon gestorben sein, da er zuvor
„Bischof von Maguellone auf dem mittelländischen
„Meere unweit denen französischen Küsten gewesen
„welches doch andere läugnen!

Dubitat Possevinus [20]), num Gualtherus auctor Alexandreidos idem unusque sit cum Episcopo illo Magalonensi (vel Magolensi ut male legitur apud Possev.), quem in psalterium scripsisse ex Trithemio, qui duos facit Gualtheros Insulanos, paulo ante demonstravit. Illum vero, qui ex sua sententia expositionem scholasticam in universum Psalterium reliquit, claruisse ait anno 1230. De Alexandr. auctoris aetate nihil addit; sed cum putet, unum eundemque fortasse esse cum illo, qui claruit anno 1230, certe hoc ipso tempore et hunc vixisse putavit.

Sed errat Possevinus spatio 130 fere annorum; namque unus tantum fuit Episcopus Magalonensis huius nominis, quem

---

19) Sebast. Linckium sequuntur, qui nuperrime Gualtheri mentionem fecerunt Hofmannus-Peerlkamp in libro suo Vitae Nederlandorum qui carmina latina composuerunt (in Mémoires de l'acad. Royale de Bruxelles II. 1822.) et Philippi in libello scholastico: „Sur l'origine de l'Alexandréide du Clerc Lambert." Düsseld. 1846. — quorum neuter operae pretium duxit esse paullo acrius inquirere in hanc rem tam ambiguam. Ideo uterque vix dignus qui consulatur, cum ex supra dictis iam appareat, anno 1160 Gualtherum Magalonensem Episcopum esse non potuisse. — cf. Quadrio l. l.

20) Apparatus sacer. Colon. Agripp. 1608. I. p. 614.

sedisse ab anno 1104—1129 supra demonstratum est. Series autem praesulum Magalonensium post Gualtherum haec est [21],

Gualtherus 1104—1129.
Raimundus I. 1129—1166.
Johannes II. de Monte-Lauro 1166—1190.
Guilelmus I. 1190—1196.
Guilelmus II. 1196—1202.
Guilelmus III. 1202—1216.
Bernhardus.
Johannes III.
Raynerius † 1248.
Petrus de Conques etc. —

Diserte Valerius Andreas [22] et cum eo Sweertius [23] Episcopum Magalonensem, auctorem expositionis in psalterium et nostrum poetam unum eundemque fuisse contendunt, florentem anno 1255; quod nullo pacto fieri potuisse, series illa praesulum Magalonensium quam attuli, satis superque docet.

Licet absurdissima sint omnium quae scribit Leyserus [24], tamen propter hanc ipsam absurditatem digna censui, quae adscriberem omnia:

„Fuit Episcopus Magalonensis, siquidem Walteri illi, „quos Henricus Gandav. Cap. XIX. et XX. recenset, „iidem fuerint, ut putat Val. Andreas. Claruit anno „1255. Opus de Gestis Alexandri nuncupavit Guilelmo „I. Rhemensi Archiep. qui electus est anno 1175, „obiitque anno 1202. Chr. Daumius in Ep. 89. ad „Reinesium dicit, Codicem suum Gualterianum scrip-

21) cf. Gariel l. l. — Gall. Chr. l. l.

22) Bibliotheca Belgica. Lovanii 1623. p. 687 sqq.

23) Ath. Belg. l. l.

24) Historia poett. et poematt. med. aevi. Halae 1721. p. 674.

„tum fuisse anno 1208. Aequalis fuit Joh. Sarisberi-
„ensis [25]), ut eius ad illum epistola testatur [26]).“

Haec alius intelligat: mihi non liquent. Quamquam tacite cum Leysero facere videtur Bandinius [27]), qui claruisse ait Gualtherum Episc. Magalon. anno circiter 1250, et Alexandreida suam dicasse Guilelmo I. Rhemensi Archiepiscopo — quamquam non addit quo tempore Guilelmus vixerit. Sed videtur ita sibi rem informasse, ut, quod factum esse constat, Gualtherus poema suum Guilelmo dedicaverit quidem sed non vivo, immo jam dudum mortuo; obiisse enim Guilelmum anno 1202 constat. Ignorasse vero Bandinium Guilelmi aetatem et annum quo mortuus sit, vix crediderim. Tacuit fortasse de hac re propterea solummodo, ne iis quae dixerat ante de Gualtheri aetate, repugnare iterum videretur. —

In transcursu iam attulimus loca quaedam nonnullorum scriptorum, in quibus lis est, utrum unus tantum fuerit Gualtherus Insulis oriundus, an duo, eodem tempore viventes, quorum alter auctor sive editor sit libri qui dicitur Flores Psalmorum, alter auctor Alexandreidos, qua de re iam pauca nobis dicenda erunt.—

Ac primum quidem Henricus Gandavensis [28]) duos secernit huius nominis Gualtheros, utrumque Insulis oriundum. De primo nil dicit nisi Insulis oriundum Episcopum fuisse Magalonensem et ad petitionem praepositi et clericorum Insulensis Ecclesiae limato sermone psalterium exposuisse. Tempus vero quo vixerit non addit; sed ea ex re, quod hunc ante illum, quem d i c t u m d e C a s t e l l i o n e appellat, recenset, id colligi posse videtur, etiam aetate praecessisse. Etsi constat, Gualtherum illum Episc. Magalon. (unum vero tantum huius nominis

25) Qui mortuus est a. 1182.

26) Scripta anno 1166. cf. infra.

27) Bibl. Leopold. Laurent. Florent. 1792. II. 517. Cod. 138.

28) apud Fabric. l. l. p. 121.

extitisse Gualtherum Episc. Magal. supra demonstravimus) non scripsisse expositionem in psalterium, sed edidisse tantum a Lietberto compositam, ut alibi docebimus, tamen hunc ab Henr. Gand. intelligi eredo, qui sedit ab anno 1104—1129. Neque vero magis quidquam dicit idem Henr. Gandav. de aetate alterius Gualtheri, dicti de Castellione, qui Alexandreida composuit. Sed hoc nihil interest: alia multa sunt argumenta, quibus ejus aetas in universum quidem constitui potest. Modo id teneamus, duos Henricum Gand. recensere Gualtheros, quorum alter Episc. Magal. fuerit, alter non fuerit.

Ex Auberti Miraei Schol. ad Henr. Gandav. video, Sixtum quoque Senensem de duobus Gualtheris Henrici sententiam amplecti, quamquam ipsi mihi Sixti verba inspicere non licuit.

Cum Henrico Gandavensi duos recenset Gualtheros Insulis oriundos Trithemius [29]) Dicit enim.

> „Galterus Episcopus Magolensis ex Insulis oppido „Flandriae oriundus, vir in divinis scripturis longo „studio exercitatus, ac saecularium literarum non ig„narus, ingenio praestans et clarus eloquio, qui suo „tempore propter doctrinam et eruditionem magnae „opinionis fuit, scripsit ad petitionem Praepositi et „Clericorum Insulensis Ecclesiae super psalterium li„brum unum et quasdam Epistolas. Alia quoque non„nulla edidit, quae ad notitiam nostram minime vene„runt."

Deinde alio loco, quem me reperire non potuisse fateor et doleo, Trithemium de nostro Gualthero haec proferr auctor mihi est Buzelinus [30]). Qui postquam de Alano locutus est haec addit:

---

29) apud Fabric. l. l. p. 112.

30) Gallo-Flandria sacra et profana. Duaci 1625. fol. p. 36.

gusti temporis spatio, dissertationis meae novae recensioni concesso commotus, et quod spero, huius dissertatiunculae (si qui erunt) lectoribus notum esse Giesebr. commentarium, hic nonnisi primam dissertationis meae particulam typis mando, quae est de vita Gualtheri; sed spero fore ut proximo quod instat tempore, si Deus O. M. vires dederit, etiam de altera parte quae est de scriptis Gualtheri, fusius exponere sententiam meam possim in novae editionis Alexandreidos prolegomenis, quorum haec dissertatio nonnisi frustillum est. Vale.

Scribebam Gottingae d. XV. Id. Mart. MDCCCLIV.

sive re vera Episcopi fuerint Magalonenses, sive illi hoc sibi finxerint tantum, nostrum fuisse Magistrum Philippum Gualtherum ab Insulis, dictum de Castellione. Itaque cum hoc solum demonstraverim, quem non fuisse Gualtherum nostrum putem,

II.

altera pars restat nobis peragenda, ut doceamus, quis fuerit, quo tempore vixerit, quibus muneribus functus et quando mortuus sit, licet pauca sint, ut supra iam diximus, quae quantum ad vitam eius pertinent, pro certis habere possumus: multa enim et ipse ego in incerto relinquere debebo, dum bona aliquis fortuna adiutus illis ipsis in locis, ubi vixisse poetam verisimile est, novos aperuerit fontes, ex quibus totam eius vitam illustrare potuerit. Mihi nondum contigit esse tam felici: neque enim

παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς. —

Ac primarius quidem fons in vita Gualtheri concinnanda nobis esse debent Scholiastae sive auctores vitarum Alexandreidi in Codd. Mss. praemissarum. Qui unde notitiam de vita Gualtheri hauserint nescio: sed cum Codd. adhuc supersint perantiqui, qui ad ipsam paene illius aetatem accedunt, non est quod dubitemus, hominem aliquem sive eruditum sive sciolum dicere malis, illius temporibus aequalem, vitam eius scripsisse, praesertim cum et Gualtherus vir fuerit eruditione non minus quam dignitate insignis, et poema suum de gestis Alexandri Magni non solum aequalium hominum, sed etiam veterum poetarum Musam obscuraverit. Hic ergo imprimis sequor vitam, quam e Cod. Colbert. 4550 excerpsit Hist. Litt. de France [35],

35) XV. p. 100 seqq. Hanc vitam eodem die quo typographo schedulas meas traditurus eram, benignissime ad me misit V. D. C. Claude a Bibliotheca Imperiali Parisina, cuius rei non possum quin et ei et Hasio Viro celeberrimo, hic gratias meas referam publice. Eam vitam infra cum aliis duabus et fragmento aliquo Erfurtensi in Appendice transcribi curavi. —

constat de tempore, quo illo munere functus sit. Ac Reinesius [3]) quidem dicit:

„De aetate Galteri Insulensis sive Lilani, Alexandreidos „scriptoris, multa verba facta sunt, nonnulla etiam „praeter rem. Ex eo vero, quod Codex tuus Mscr. [4]) „annum MCCVIII praefert, hoc saltem concludere est, „quod tempus datum praecesserit Gualterus; praecise „partem temporis aliunde cognoscere, nimirum ex „obitu eius, quem in annum MCXXXIII refert Antonius „de Verdala, Ep Magalonensis, in Catologo suorum „decessorum, possumus."

Haec Reinesius, licet ipse paulo ante [5]) hanc coniecturam de aetate Gualtheri protulerit:

„Matthaeus Vindocinensis cuius aetatem plane indagavi- „mus, meminit extr. Tobiae Gualteri, hic igitur paulo „superior, si non aequalis ei fuerit. Ea in re incon- „siderate Vossius [6]) inter incertae aetatis scriptores „eum retulit: male quoque circa a. 1200 floruisse „coniicit. Historia belli sacri, quod in Concilio Claro- „mont. anno 1095 decretum fuit, inter magnates et „milites nominat Walterum de Castellens, hunc eundem „esse cum scriptore Alexandreidos existimem, si quae- „cunque in Alexandreide nota vel vestigium belli „Jerosolymit. partem eum fuisse adpareret. . . . Sic „igitur sibi successerint isti saeculi XI et XII poetae: „Fulbertus, Ivo, *Gualterius*, Joh. Saresber. Matthaeus, „Gaufridus, Wilhelmus."

---

3) cf. Reinesii Epistt. ad Chr. Daumium ed. Bosius. Jena 1670. 4. Ep. XC p. 228.

4) Cod. Cygneensis s. Zwickaviensis.

5) Ep. LXXXV. p. 217.

6) Errare videtur Reinesius. Vossius l. l. et de Histor. Latt. Libr. II p. 478. (Lugd. Bat. 1651) non annum 1200 sed 1250 habet.

Sed errat V. D. Gualtherum illum, quem ait anno 1133 mortem obiisse, non posse eundem esse atque nostrum poetam, ex argumentis, quae infra afferam, perspicuum erit. Vixit sane circa illa tempora Gualtherus quidam Episc. Magalonensis, sed is iam ante mensem Augustum anni 1129 mortuus est; eo enim tempore Raimundus I. successor iam creatus erat 7).

Multa quidem verba de Gualthero fecit Bulaeus 8), sed multa praeter rem, ita ut difficile sit veram suam sententiam ex iis elicere, cum secum ipso pugnare videatur. Verba eius haec sunt:

„Patet, Gualterum floruisse circa medium et finem „huius saeculi, ab anno circiter 1108 ad annum 1180, „nec fuisse Magalonensem Episcopum, nam hisce tem- „poribus Ecclesiae Magalonensi praeerat Joannes de „Monte Lauro" —

et paulo infra:

„Reperitur tamen inter Magalonenses Episcopos Gual- „terus natione Gallus, in eadem ecclesia a puero enutritus „sub disciplina Gothofredi Episcopi, cui anno 1180 „successit." —

Mira est apud Bulaeum annorum confusio, cum duas res misceat prorsus alienas. Verum est, Joannem de Monte Lauro his temporibus (1166—1190) Episcopum Magalonensem fuisse; sed neque ab anno 1108—1180 florere poterat Gualtherus ut infra videbimus, neque Gothofredo successit ullus Gualtherus anno 1180; nam hisce temporibus Joannem de Monte Lauro Episc. Magal. fuisse constat.

Res qualis sit, optime apparebit allatis verbis Sammarthanorum 9) huc pertinentibus:

„Gothofredum proxime excepit Galterus ex Insulis op-

7) cf. Gall. Chr. VI. p. 747. D. — cf. infra.

8) Histor. Univers. Parisiensis. Paris. 1665. II. p. 740.

9) Gall. Chr. VI. p. 745.

„pido Flandriae oriundus, vir in divinis studiis longo „studio exercitatus, saecularium litterarum non ignarus, „ingenio praestans, et clarus eloquio, qui suo tempore „propter doctrinam et eruditionem magno fuit in pre- „tio. Hic ille namque est Galterus, quem a Waltero „episcopo Magalonensi, de quo Trithemius, perperam „secernit Gariellus [10]; non enim Magolensem, sed „Magalonensem apud Trithemium legendum probat „epistola ipsiusmet Galteri ad Robertum praepositum „Insulanum edita a Mabillonio [11], cum Maagalae in „Palaestina vel Magalis in Hispania nullum adscribat „pontificatum episcopatuum notitia. Ex hac autem et „altera a Brunone Signiensi episcopo ad Galterum da- „ta, quam habes Tom. XII. spicileg. p. 79. apparet, „Galterum scripturis sacris studuisse tum cum apud „Insulas moraretur. Sub Gothofredil postea disciplina „meruisse, antequam fieret episcopus, docent Verdalae „carmina. Defuncto autem magistro successit discipu- „lus anno 1103 aut saltem 1104, ut liquet ex veteri „charta data VII. Id. Maii anno 1125, quem vigesimum „secundum praesulatus sui annumerabat Galterus, ut „diximus [12].

Et paulo infra [13])

„De Galtero vetus quoque musa aqud Verdalam ceci- „nit:

Illi (Gothofredo) Galterus succedit filius eius,
Filius obsequio, filius officio,

---

10) l. l. I. p. 135.

11) Mabillon Anall. I. p. 289. (ed. 2. p. 462.) cf. Hittorp. de Canon. observ. p. 534.

12) p. 744. C. D.

13) p. 747. E.

Doctus et astutus *), per versus clarus, acutus,
Magnus consilio, magnus et eloquio,
Corpore sincerus et religione severus,
Impatiens sceleris, compatiens miseris,
Normae cultores, et nostros auxit honores,
Crevit thesaurus, fabrica, fama, domus.
Inde sequens tristi vestigia sorte magistri
Interiit, positus quo pater ante suus [14]. —

*) Hoc forsan deceptus loco confundit doctissimus Pagi Galterum nostrum cum Galterio de Castellione celebri poeta, qui saeculo decimo tertio (?) florebat. Alii autem legunt percomis. (Editt. Gall. Chr. Nov.)

Porro Fabricius [15]) dicit, Philippum Gualterum de Guastellione, Insulensem, episcopum circa annum Chr. 1174 Magalonensem auctorem esse Alexandreidos, et idem alio loco [16]) circa a. 1171 episcopum Magalonensem eum fuisse putat. — Contra idem alio loco [17]) de Gualtheri episcopatu Magalonensi nihil omnino dicit, nescio unde tum aliud edoctus [18]).

Sebastianus Linckius, in brevi vita Gualtheri quam praemisit editioni Alexandreidis a discipulo suo Oswaldo ab Eck curatae (Ingolst. 1541.) non magis clare et distincte haec habet:

„quibus (litterarum studiis) tantam et authoritatem et „gratiam passim obtinuit, ut in Episcopum Magolensis „eligeretur ecclesiae.“ . . .

et ad finem:

„Floruit circiter annum 1160 a Chr. n. quo Alexander

14) cf. Henricus Gandavensis in Fabricii Bibl. Scriptt. Eccles. Cap. XIX. — Trithemius ibid. c. 492. — Histoire Litt. de France XI. p. 81. sqq.

15) Bibl. Graeca III. p. 42. Harl.

16) Bibl. Lat. II. p. 255. (Venet. 1728.)

17) Bibl. med. et inf. Latin. III. p. 112. (Patav. 1754.)

18) cf. infra.

illud post primam illam commorationem Castellionensem; sed multo post tempore, cum jam sub Henrico et Guilelmo Archiepiscopis Remis vixisset, illuc reversus et nomen adeptus est [54]. —

„Tandem vero considerans multum laboris et minimum utilitatis in artibus esse liberalibus," (Guelferb.) Bononiam se transtulit, ibique iuri publico et ecclesiastico addiscendo operam dedit. Hoc convenit cum iis, quae Giesebr. doctissime exposuit. p. 374. Si enim verum est, auctorem archipoetae, confessionis Goliae et apocalypseos Goliae unum eundemque esse, Gualtherum scilicet Insulanum, bene intelligitur, quomodo circa annum 1162—1164 confessionem Goliae scribere potuerit Gualtherus Paviae (cf. Giesebr. p. 357—359). Nam ad hos annos refero eius iter Italicum, cum anno 1166 nobis occurrat in aula Henrici II. Angliae regis ubi non minima dignitate et auctoritate vel apud ipsum regem florebat, ut videre licet ex Joh. Sarisb. Ep. CXLV [55]. ad Bartolomaeum Exoniensem Episcopum, cuius sub finem p. 229. Giles haec leguntur:

> „Haec quidem interim gessit archiepiscopus: et rex „(Henricus) — quod ad vestram notitiam venisse non „ambigo — virum bonum Magistrum Waltherum de „Insula misit in Angliam cum literis a colloquio Chino-„nensi, ut insulanos super facta appellatione praemu-

---

54) cf. Iourn. des Sçav. l. l. — „On ne saurait donc douter, que Gaultier ne fût né à Lille. Cependant la ville de Châtillon, soit qu'il y eût passé la meilleure partie de sa vie, soit qu'il y soit mort, a depuis long-temps usurpé sur sa patrie l'honneur de lui donner un surnom, suivant ce vers rapporté par Henry de Gand, Ecrivain presque contemporain de Gaultier „Insula — nomen." L'origine du surnom de *Castellionaeus* remonte donc jusqu'au tems où il a vécu: aussi est celui qui a prévalu, le seul par lequel on le distingue des autres Ecrivains du même nom." — cf. infra.

55) Scripta est Ep. anno 1166.

„niret, et portus et transitus faceret diligentius obser-„vari et clerum ab obediendo suspenderet, quum tamen „nondum facta sit appellatio, et archiepiscopus possit „facile inveniri. Nec dubito, quin praedicto Magistro „Waltero machinatio ista displiceat, cum omnibus quae „praesumuntur adversus ecclesiam Dei, quoniam domi-„num timet."

Nihilominus tamen Gualtherus clam regem qui interdixerat, ne litteras exulantium acciperet, litterarum commercium sustinuit, et omnino eorum rem pro sua accepit. cf. Ep. CXLIV. ad Mag. Gaufridum de Sancto Edmundo 56).

„Quum in solemnitate Paschali reformandae mihi pa-„cis gratia Andegavum profectus essem ad regem, „ipsum ante Dominici corporis perceptionem per „abbatem S. Victoris Parisiensis et alios religiosos, feci „diligentius conveniri super pace R. filii vestri, adhi-„bitis etiam aliis amicis de quorum fide in curia spem „conceperam pleniorem: sollicitaveram enim antea „super hoc virum optimum Magistrum Walterium de „Insula, et per ipsum alios patres, quorum fides mihi „videbatur esse sincerior . . . . . . Rediens itaque pue-„rum cum festinatione, sicut Domino placuit et nostra „necessitas exigebat ad Magistrum Galterium de Insula „transmisi, cuius fidem et caritatem nobis exhibitam „remuneret fundator ecclesiae Christi, pro cuius fide „et amore, sicut nobis conscientia testis est, laeti quan-„do quidem id necesse est, damna, iniurias, contume-„lias et exilium sustinemus. . . . . .

„57). Si Magistrum Galterium videris, ei per te et per „amicos quantascunque poteris gratias referas, et maxi-

56) Giles p. 219. — Scripta est haec Ep. anno 1166.
57) p. 220.

„me per comitem Gaufridum, quem diligit, et si fa-
„cultas affuerit, eum recipias, et ab aliis recipi facias
„tamquam angelum Domini, quoniam et ipse, ut arbi-
„tror, Dei minister est, et quantum licet, in curia mem-
„bra Christi multipliciter consolatur" . . . . . .

„[58]). Audio Magistrum Galterium iuramento arctari, ut
„neque litteras, neque nuncios excipiat exulantium.
„Ex quo patet, quam misera necessitas bonis viris im-
„mineat, quos non licet mandata Dominicae legis, of-
„ficia videlicet caritatis, implere." —

Sed non poterat hoc latere regem; itaque non ita multo post in magnum discrimen adductus est Gualtherus, imo ex clericatu expulsus videtur esse. cf. Joh. Sarisber. Ep. CXC. quam ad Gualth. ipsum scribit anno 1166. (p. 232 Giles.) ex qua haec pauca elegi:

M. Gualtero de Insula.

„Promeruerat quidem humanitatis vestrae sedulitas, et
„exhibitio promptissimae liberalitatis, ut omnem vobis
„aut vestris obsequendi opportunitatem gratanter arripe-
„rem: et si alio modo nequeam, saltem devotionis
„meae sinceritatem salutationis iudicio protestarer. Nul-
„lus enim nostratum est, cui cum omnes rerum cir-
„constantias diligentius metiar, me recolam amplius
„debitorem. Unde silentium meum merito fuerat argu-
„endum, nisi multarum et probabilium rationum suf-
„fragio purgaretur: quas utique iure praetenderem ac-
„cusanti, si nimirum non constaret inter vos et nos
„chaos magnum esse firmatum: ita ut nobis impossi-
„bile, vobis autem difficile sit ad amicos transire vel
„mittere. . . . . . .

„[59]). Interim dispensationem Domini aequanimiter

58) p. 221. ad. fin.
59) p. 334.

„toteramus, certi quod nihil nobis nocere poterit, si „boni id ist divinae legis aemulatores fuerimus. Non „enim ut criminosi patimur, quod publice notum est, „nisi his qui laborant, ut non sapiant quae Dei sunt, „sed affligimur ut Christiani. In quo et Te, dilectissime, „nos gaudemus habere consortem: non quidem tuo „(quod nefas esset) insultantes reiectui, sed congratu-„tantes virtuti. Nam et tu fidei tuae fecisti fidem et „temporalium iacturam contempsisti, dum sectareris „honestatem, et satisfaceres caritati. Quid, dilecte mi, „obstupescis? quid mussitas? quid lùcernam niteris „obfuscare? crimen tuum mundo innotuit: omnes de „Te unam sententiam ferunt: et ne Te diutius protra-„ham, Evangelicum implesti virum, pro fratre animam „ponens, dum Te pro iustitia maluisti condemnari, „quam alium, cui virtus obedientiae reputanda videba-„tur, in crimine, si verum fateretur, accusari, sed nec „ille (ut vulgo dicitur) fidem et obedientiam ausus est „profiteri, nec tu, quod gaudenter amplector, diffiteri „dignatus es fidei et obedientiae titulum.

„Quum ergo gratis virtus sit in te punita, aut potius „probata per homines, numquid perfidia praevaricato-„rum, et calumniatorum iniquitas non condemnabitur „apud Deum? Deus mihi testis est, quoniam doleo „Christi regis sigillum esse subtractum. Sed eodem „iudice fateor, quia malo te in hac conditione versari, „quam illud perfidia aut etiam quacunque nota turpi-„tudinis redemisse. Sit ergo nunc, amice Dei, qui „meus a multis diebus fuisti, consolatio tua, quae me et „mihi coexulantium est, innocentis conscientiae testi-„monium, qua nihil in vita potest esse iucundius. Si-„quidem illa

— „iudice nemo nocens absolvitur,“

„quae et vermem immortalem et ignem inextinguibilem

„parit: aut ut verius dixerim, perenniter fovet. Non „enim conscientiae sed culpae est partus iste, quem „semper a Te Deus faciat alienum. Si de me quaeris, „sano et incolumi, suffragatur negotiatio litterarum, ex- „pectanti misericordiam Domini in affluentia illorum „quae natura deposcit, aut conviventium mores. Co- „exulat mihi frater meus mecum ad omne tuum in „Domino promptus obsequium. Quum autem ad prae- „sens aliud nequeamus, salutationis et devotionis mu- „nus offerimus, per te dicentes salutem quibus noveris „expedire, et nominatim clericis aulae, qui nec ex no- „mine excommunicati sunt nec excommunicatorum „participatione" 60).

Haec Sarisberiensis. Quae tamen res fuerit, quae in tantum periculum Gualtherum pro iusta causa pugnantem adduxerit, non liquet. Henrici regiam aulam certe reliquit et in patriam rediit, novam simul Anglorum exulantium patriam. Rex enim Ludovicus et frater eius Henricus I. 61), Remensis archiepiscopus summa cum liberalitate veraque animi magnitudine exules illos apud se recipiebant, eorumque rem iustissimam contra Henrici iniustitiam defendebant. Remi ante omnes, ubi non multum ante litterarum universitas condita fuisse dicitur, Musarum domicilium, sedes doctissimorum et eruditissimorum hominum,

---

60) cf. Ep. CXV. (Giles II. p. 20.). Ad eundem Gualth. scripta.

61) cf. Gall. Chr IX. 100. E. — Henricus I. frater Ludovici VII. ex episcopatu Bellovacensi transiit ad sedem Remensem XIX Cal. Febr. a. 1162; obiit d. 13. Novbr. 1175 – cf. Marlot III, p. 452. 455. fin. — cf. Gall. Chr. IX. p. 94. D. „Laudatur praeterea, quod in viros doctos ea fuerit propensione ac liberalitate, ut quos fovere posset, apud se retinuerit, subsidio eis collocato ad decus et ornamentum ecclesiae suae: inter eos vero Radulfum Remensem decanum et Joh. Sarisberiensem utrumque Anglum." — cf. Marlot p. 501. et 502.

virtutis asylum facti sunt [62]). Sedis enim suae splendorem et magnificentiam ut augeret Henricus, doctissimos et illustrissimos illius temporis homines apud se recepit; et sic puto etiam Gualtherum, cuius merita certe non ignota fuerunt Henrico, Remos ab illo vocatum esse, quo consilio, nescimus, sed recte fortasse Marlot dicit, ut rhetoricam ibi doceret [63]), quamquam nihil impedit quominus credamus, inter clericos ab Henrico iterum receptum esse. Certe iam eodem anno 1166 mentio fit in Joh. Sarisb. Epist. CLXVIII. Gualtheri alicuius clerici domini Remensis. Scribit enim ille ad Magistr. Raimundum Pictaviensem Ecclesiae cancellano (Giles I. p. 264):

> „Iniunctum est illi (Epistolarum latori) ut apud domi-
> „num Episcopum gerat negotium M. Galteri Clerici
> „domini Remensis, pro recuperandis libris, quos idem
> „Walterus Magistro Petro Heliae commendaverat."

Miro modo Giesebr. p. 366. fin. dubitat, num omnino umquam Gualtherus in Cancellaria Episcopali Remis vixerit. Diserte enim hoc narrant Vitarum auctores, primum sub Henrico, et deinde sub Guilelmo secretarii munere eum functum esse. Secutus est Henricum I. Guilelmus I. de Campania, dictus ad albas manus, quem recte principem Episcoporum nominavit Marlot [64]):

---

62) cf. Marlot III. p. 500; Joh. Sarisber. ibid. p. 501.

63) Marlot p. 436. „Ainsi ce soleil eclypsé (St. Thomas de Cantorbie) commença de rayonner en France tant par la lueur de sainteté que par la doctrine de ses vertueux disciples, dont aucuns s'arrestérent à Reims pour adoucir l'ennuy de leur pitoyable exil, entre lesquels sont remarqués Radulphe, fait doyen de la cathédrale et Iean de Sarisbery, l'un des plus doctes et courageux de cette nation. L'amour que notre archevesque avait pour la vertu, fit qu'il appoincta ces grands personnages à la gloire de son église, et qu'il fit venir Galterus, poète excellent du bourg de Chastillon, pour enseigner les lettres à Reims. — cf. Marlot IV. p. 326.

64) III. 452.

„Si l'éloquence estait permise en l'histoire, qui ne „souffre aucune estendue de discours, c'est icy où elle „devroit employer ses plus riches traits pour descrire „les plus belles qualités du Cardinal de Champagne „annoncé par tous les autheurs pour le plus sage et „le plus magnifique prélat de son siècle, et que je trou- „ve avoir le premier joint en l'église de Reims la „dignité de Cardinal avec celle d'archevesque et asseu- „ré le droit de sacrer les rois et le tiltre de duc à „ses successeurs“ [65].

Certe Henricus arctiore aliquo vinculo adstrinxisse sibi Gualtherum videtur, et ad Henrici usque mortem (d. 13. Novbr. 1175) illo munere sub eo functus est, licet Marlot l. l. dicat sub Guilelmo demum hanc eum dignitatem accepisse, et Joh. Saresb. Ep. CLXVIII. eum nonnisi clericum domini Remensis appellet. Sed scripta est illa Epistola anno 1166, et poterat postea ad id munus Gualtherus evehi. Igitur sub Guilelmo eadem in dignitate mansisse dicitur Gualtherus, additur [66] praedicatorem quoque Guilelmi fuisse, sed non additur quamdiu sub eo Remis vixerit. Omnino vero non possum quin paullo aliter sentiam quam Giesebrechtius de Gualtheri vitae hac parte. Primum audiamus ipsum V. D. p. 366.

---

65) Guilelmus natus anno 1135, electus Carnotensis Episc. 1167, transiit primo ad Ecclesiam Senonensem 1169, deinde ineunte anno 1176 ad Eccles. Remensem (VI. Id. Aug.); obiit Lauduni VII. Id. Septbr. 1202. Remos relatus in Ecclesia cathedrali tumulatus est iuxta maius altare sub lapide, cui insculpti dicuntur inconditi sequentes versus:

Moribus excelsus, providus, mitis, prudens et pacis amator,
Annis bis denis et sex cum simplice mense
Praefuit archiepiscopus Willelmus in urbe Remensi
Septima Septembris idus fuit finis vitae meae.

cf. Gall. Chr. IX. p. 95. — Marlot III. p. 452—500. — Bulaeus II. p. 334—490; p. 744 sqq.

66) Marlot III. p. 503. cf. Cod. Colbert. infra.

„Sobald sein Glück in England scheiterte kehrte er nach
„Frankreich zurück und trat sofort in die Dienste des
„Erzbischofs Wilhelm von Rheims."

Sed vidimus, jam anno 1166 vel paulo post Gualtheri cuiusdam clerici Remensis Episcopi a Joh. Saresb. mentionem fieri, quem ipse Giesebr. cum nostro Gualth. unum eundemque fuisse contendit. Guilelmus vero non ante annum 1176 ad sedem Remensem transiit; ergo primum sub Henrico Remis vivebat, et si vel statim post Guilelmi transitum ex sede Senonensi ad Remensem alio aliquo munere donatus est Gualtherus, ad minimum decem annos Remis vivebat. Itaque non intelligo, quae idem V. D. deinde dicit:

„Wir finden keine Spuren dass Walther längere Zeit
„in der Kanzlei der Erzbischöfe von Rheims gedient
„habe, wenn er überhaupt jemals in diser beschäftigt
„worden ist; wohl aber treffen wir ihn nachher an der
„Spitze einer Schule zu Châtillon sur Marne, deren Lei-
„tung ihm vom Erzbischof übertragen sein musste. Hier
„dichtete er die 10 Lieder, die in der Pariser Hand-
„schrift erhalten sind, und die etwa zwischen den Jah-
„ren 1175 bis 1185 nach den historischen Ereignissen,
„die berüht werden abgefasst sein müssen."

Quae illa facta sint, doleo me nescire, cum decem illa carmina mihi non innotuerint neque Gieseb. ipse ea indicaverit. Putat igitur V. D. iam anno 1176, quo Guillelmus I. ex sede Senonensi ad Remensem transiit, Gualtherum Castellione ludi magisterio functum esse ibique et carmina illa et Alexandreida composuisse. Mihi de tota hac re aliter videtur. Omnino si ad Joh. Sarisberiensis verba supra allata respicimus, non possum quin valde mirum ea me habeant, si comparaveris cum carminibus illis et praesertim cum confessione Goliae ab Giesebr. Gualthero tributa. Itane? Joh. Sarisber. et S. Thomas Cantuar. viri sui temporis fere principes eruditone et sanctitate, animique nobilitate illustrissimi et qui pro iusta causa occum-

bere maluerunt et exulare, quam cedere regi, iine intimi essent amici clerici vagantis et illius quidem qui facem quasi toti goliardorum cohorti praetulit? Quomodo umquam aptari possunt confessio Goliae, si Gualtheri nostri est, et Joh. Sarib. verba, quibus angelum Domini, Dei ministrum, virum bonum, etc. eum appellat? Itaque illa carmina aut omnino Gualtheri nostri non sunt, aut eo quoque sensu Protei naturam (ut J. Grimmii verbis utar) refert, ut modo goliardus in confessione Goliae (Wright. Mapes p. 71.) haec canere possit:

Feror ego veluti sine nauta navis,
Ut per vias aeris vaga fertur avis;
Non me tenent vincula, non me tenet clavis,
Quaero mei similes et adjungor pravis.
Via lata gradiens more iuventutis,
Implico me vitiis, immemor virtutis,
Voluptatis avidus magis quam salutis
Mortuus in anima curam gero cutis.
Mihi cordis gravitas res videtur gravis;
Haec est amicabilis dulciorquè favis,
Quicquid Venus imperat labor est suavis,
Quae numquam in cordibus habitat ignavis. etc.

et vix spatio duorum annorum interiecto pro exulantium Anglorum re gravissima et iustissima contumeliam perpetiatur, et poenam illam sufferat, qua ipse Giesebr. eum affectum fuisse putat, nempe qua ex clericorum numero ejectus sit. Hoc mihi quidem vel ineredibilitatem (venia sit verbo) excedere videtur. —

Scripsit certe, id quod alio loco et tempore fusius exponemus, Gualtherus circa annum 1180 Alexandreida, sed ex mea sententia non Castellione sed sub Guilelmo Remis adhuc vivens. Sin vero eo argumento nititur Giesebrecht. quod putat, carmen illud (cf. Giesebr. p. 367).

Turpe tibi, Papa bone,
si divina lectione
spreta fiam laicus.

Vel absolvar clericatu,
vel fac, ut in cleri statu
Perseverem clericus. —
Dulcis erit mihi status,
si sim ego muneratus
praebenda vel alio.
Licet detur non abunde,
Saltem mihi detur, unde
Studeam de proprio.

Gualtherum non contentum schola sua scripsisse intra hos eosdem annos, et vel Romam petiisse papamque adiisse eo consilio ut meliorem ab eo vitae statum impetraret, longe a vero aberrasse V. D. videtur. Nam si, quod veri simile est, ab Henrico II. Angliae rege ex clericatu eiectus fuit, certe jam non optare poterat poeta, ut iterum laicus fieret. Et quid prohibet, quominus illud carmen iam tum a Gualthero scriptum esse putemus, cum anno circiter 1160 Castellione scholam rexit, id quod eum fecisse inuria negare mihi videtur Giesebr. ut supra dixi, deinde cum Bononiam se conferret papae tradidisse? Omnino vero nihil impedit, quominus Alexandreidem non Remis scriptam esse putemus, sed Castellione. —

Et hic quidem, i. e. Castellione maximam partem vitae Gualtherum degisse sibi informavit Giesebr.; hic etiam eum scripsisse ait contra Iudaeos libellum; quo tempore, non constat neque omnino utrum Castellione an Tornaci, cuius urbis praepositum Canonicorum se ipse dicit. Inde colligit Giesebrechtius cum multis aliis, Gualtherum praepositum Tornacensem 67) a Guilelmo factum esse. Sed licet dubitationem movere de hac re! Primum enim praeter Tornacum Ambianum 68) quo-

67) Fabric. Bibl. med. et inf. Lat. l. l. — Millin, Magaz. Encyclop. Paris 1795. 2. p. 51 ff. — cf. III. p. 181. — Zapf in Allgem. Lit. Anz. 1799. p. 1858. — Hist. Litt. de Fr. l. l. — Graesse l. l. cet.

68) Cod. Matth. et Guelferb.

que et Insulae [69]) urbes nominantur, in quibus ecclesiastico aliquo munere functus sit. Deinde vero valde mirum mihi visum est et videtur, quod in uberrimo illo catalogo qui est de dignitatibus Gallicarum Ecclesiarum, Galliam Christianam dico, vix vestigium aliquod Gualtheri reperire potui. (cf. supra p. 11).

Ubi et quando mortuus sit, non certo constat. Hist. Litt. d. Fr. Codicem Colbertinum [70]) secuta, et Codd. Guelferbyt. et Matth. Ambiani mortem obiisse eum narrant; illa pestilentia absumtum, hi flagello se castigantem referentes.

Mihi summam probabilitatis speciem id habere videtur quod narrant Sweertius, Seb. Linckius et Valer. Andreas ll. ll. licet auctores non optimae fidei sint omnes, Gualtherum Castellione mortuum esse. Supra vidimus, priusquam ab Henrico Remos vocaretur, Gualtherum aliquamdiu Castellione scholis, nescio qua cum dignitate praefuisse. Iam si constat (cf. infra) circa annum 1200 eum mortuum esse, natalis annus est circa annum 1130—1140. Anno vero circiter 1166 Remis iam commorabtur, et mihi quidem verisimile non videtur esse, Gualtherum jam tum propter ludicra illa poematia, quorum Scholiasta mentionem facit, et quae, sub Archipoetae nomine decantata, Giesebr. a Gualthero in Italia anno circiter 1162—1164. scripta putat, et propter brevem quae debebat et poterat esse commorationem Castellionensem hoc cognomen accepisse. Itaque probabile est, postquam aliquamdiu Remis et fortasse alibi etiam dignitatibus illis ecclesiasticis functus fuit, Gualtherum multum versatum in rebus scholasticis, Castellionem iterum rediisse, ibique scholarchae vel simili aliquo munere functum esse otioque literato supremum diem obiisse [71]).

---

69) Ed. Argentor., Massmann in Heidelberg. Jhbb. 1826. p. 1196.

70) Sed in apographo meo illius vitae nihil de hac re legitur.

71) cf. supra. — Haec vero neutiquam repugnare iis, quae supra disseruimus, unde cognomen Castellionaei acceperit, patet. Neque enim ideo puto, Castellione mortuum esse Gualtherum,

Quo anno mortuus sit, certo non constat. Qui mortis eius meminerunt scriptores, annum exhibent 1202, quod in bonam fidem accipere debemus. Unde vero Graesse 72) argumentum sumserit, ad annum usque 1201 in vita eum esse debuisse, mihi non liquet. Pezius l. l. anno 1200 Gualtherum obiisse refert.

Haec sunt, quae de vita M. Philippi Gualtheri indagare potui. Licet pauca sint, tamen hoc constat, eum non fuisse Episcopum Magalonensem, neque vixisse initio saeculi XII. neque med. saec. XIII. sed vixisse ab anno circiter 1130 s. 1140 ad annum circiter 1200.

APPENDIX.

Gualtheri vitae.

Appendicis loco hic subiungo integras tres illas vitas quarum primam e Cod. olim Colbertino No. 4550, nunc Biblioth. Imp. Parisiensis No. 8359. in 4o. fol. 73. vers. (exaratus est ille Cod. Saec. XIV.) ad me misit V. D. C. Claudius; sequentes duae leguntur in Allgem. Liter. Anzeiger 1799. p. 263. quam evulgavit Matthiae e Cod. suo et ibid. p. 1236, quam descripsit Schmidt Phiseldeck e Cod. Guelferbytano.

quod inde nomen traxit, neque vero etiam propterea sic nominatus est, quod ibi mortuus est, sed inde accepit nomen, quod ante mortem per aliquod tempus ibi vixit; id quod Castellione mortuus est, quantum ad nomen nihil facit. — Si cui forte nimis audax videtur haec mea coniectura, Gualtherum Castellione mortuum esse, nolo manibus repugnare; sed id saltem constare videtur, Castellionem quasi alterum eius domicilium fuisse.

72) II. 3. p. 443. cf. Oudin in vita praemissa libello contra Judaeos qui annum 1201 habet.

I. Cod. Colbert. 4550.

„Quoniam sunt nonnulli qui, invidia stimulante, aliorum bene gesta degestare conantur, nos hac nota denotari caventes sapientiam sapientium, certa rationis mensura attollere studemus, ne de aliorum benedictis latentes, similes illis efficiamur qui edaci livore corrosi, sicut cremium aruerunt. In territorio igitur insulano, villa Ursinio, quidam Galterus oriundus fuit qui in literarum scientia et ingenii subtilitate supra quam dicimus claruit. Hic, ex eo quod apud Castellionem, Galliae oppidum, scolas rexerat, Galterus de Castellione dictus est. Denique Guillermo, Senonensi archiepiscopo, cathedrae remensis dignitatem adepto, idem Galterus apud eum notarii oratorisque functus officio; cuius benignam (sic) captans, in honore illius gesta magna Alexandri eleganti stilo composuit ea ratione ut quot literas hoc nomen Guillermus habet, tot libros illud insigne volumen contineret, et hoc ordine quo literae in nomine contingutur libri ab eisdem literis inciperent; et ut clarius fiat quod dicimus, principium librorum ponimus, et uniuscuiusque capitalem literam minio formamus.

Gesta ducis Macedoniae
Ultorem patriae
Iam fragor armorum
Luridus et piceo
Lege Numae regis
Ecce lues mundi
Restitit hesperio
Memnonis aeterno
Ultima terribiles
Sidereos fluctus.

Horum itaque capitales coniunge, et habebis *Guillermus*. Scribitur autem R, non L, in proprium morem locutionis illius proviniciae, id est remensis.“

Addit Claudius:

„On lit au bas de la page une note écrite de la même main, et ainsi conçue:

Parisius autem studuit sub magistro Stephano Balvacensi, deinde venit Castellionem, ut superius habitum est.“ —

II. Cod. Matth.

Tytulus talis est: Incipit *alexandris* vel alexandreis magistri *galteri* de castellione. Alexandreis est nomen hystorie sicut thebais. *Galterus* est nomen auctoris — — insulanus fuit ut ipse ait antequam hoc opus comperfecisset cum mori timuisset. Magister *galterus* de castellione fuit auctor huius libri qui prius vocabatur de Insula unde versus Insula me genuit, rápuit castellio nomen. Perstrepuit modulis gallica tota meis. Gesta ducis macedum scripsi sed sincopa feci Inceptum clausit obice mortis opus. Parisiis et remis sub magno *sthephano* beluacensi studuit et laudino scolas rexit deinde ad castellionem se transtulit a quo cognomen traxit — ibique ludicra composuit. — Multum laboris et parum utilis esse in liberalibus disciplinis animadvertens boloniam se transferens — decreta addidicit. veversus ergo ad familiarem *remensis* archyepiscopi *guillelmi* receptus et remis gratiam adeptus est. Hoc opus incepit, eodem anno quo beatus *Thomas* martyr sanguinis sui testimonium perhibuit atque remensis archyepiscopi interventu ambianensis ecclesie canonicus effectus ibi flagello sepe castigatus vitam terminavit.“

III. Cod. Guelferbyt.

Insulanus fuit auctor iste unde cum hoc opus incepisset, et morbo dificili imminente mori timuisset, ait. Insula me genuit, rapuit castellio nomen. Perstrepuit modulis gallia tota meis. Gesta ducis macedum scripsi sed sincopa fati, Inceptum clausit obice mortis opus. remis quidem et parisiis sub

magistro *stephano* remense. studuit prius. postea laudabiliter scolas rexit deinde *castellionem* se transtulit unde nomen sortitus. et quod illo versu declarat ubi dicit rapuit castellio nomen. multa ibi ludicra composuit. unde ait perstrepuit modulis cet. Tandem vero considerans multum laboris et minimum utilitatis in artibus esse liberalibus familiaritatem venerabilis domini remensis archiepiscopi adeptus est petitione cuius ad gesta *alexandri* describenda animum suum applicavit. tandem interventu archiepiscopi abienensis ecclesie factus est, ibique — *) castigatus vitam finivit.

*) Hier fehlt ein einziges Wort, dessen Abbreviatur mir nicht ganz deutlich ist, weshalb ich es, da es nicht bedeutend ist, in dem Texte nicht ausgedrückt habe. Es kann heissen leniter, leviter u. s. w., gewiss aber heisst es nicht flagello saepe. — Schmidt-Phiseldeck.

IV. Cod. Erfurt.

Ad Gualtheri vitam spectant haec etiam, quae in Cod. Erfurt. inveni et quae Kritzius V. Cl. (cuius valetudinem Deus O. M. mox in integrum restituat!) benignissime per litteras mecum communicavit.

„Vita auctoris Kanonicus remensis fuit et habuit „concubinam quae compulsa fiebat a milite quod „admitteret leprosum et inmediate Galtherum. hoc „factum est, et ita factus est leprosus. Accidit et „parisiis et (it) magister bonus naturalis haberet iu„venem comitem discipulum spaciantem cum eo „circa vineta qui accederet ad talem mulierem, cum „rediisset dixit tu infectus es per lepram inveni su„bito coitum cum ex tunc sanus eris quia resumet „a te quae susceperas.“